



Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 1. Quid est, & quale Peccatum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

ARTICULUS I.

De Superbia.

Q. 1. *Quid est, & quale Peccatum?*

Resp. I. Superbia est inordinata cupi-
ditas propriae excellentiae, & celsitudinis.
Eius actus sunt 1. Inordinata sui æstima-
tio, quæ quis se ipsum æstimat supra id,
quod est, & afficitur erga se ipsum tan-
quam aliquid excellentius, quam revera-
sit. 2. Finem suum ultimum in propria
excellentia constituere; & virtutem, sci-
entiam, & alia ad excellentiam spectantia
non appetere propter Deum saltem ulti-
mate, nec ad ejus gloriam referre, sed uni-
cè, & ultimate propter suam satisfactio-
nem, ac excellentiam. 3. Ab aliis velle
magnificari, honorari, laudari: si non fa-
ciant, dolere, irasci. 4. Judicio proprio
pertinaciter adhærere. 5. Alios, & alie-
na parvi facere, se, & sua pluris æstimare,
vel velle videri singulariter habere, quæ
possidentur. 6. Si putas te habere bona,
quæ non habes, vel majora quam habeas,
aut in eo ponas excellentiam, ubi non est,
& inde te extollas. 7. Si bona tua æsti-
mes quasi ex te ipso habeas, & non à Deo.
8. Si bona tua accepta quidem à Deo cre-
das, sed ea æstimes tanquam meritis pro-
priis debita, vel ea ad Dei gloriam non

S 3

re-

referas. Tamen ad superbiam (ut notat S. Thom.) non est necesse, ut quis revera judicet se bona à se ipso habere, aut propriis meritis absque Dei gratia obtinuisse, (hoc enim esset hæreticum;) sed satis est, quod consideratis bonis suis sine relatione ad Deum, perinde se gerat, & animo se extollat, ac si non à Deo haberet. 9. Nolle se subjicere suis Superioribus, quasi id sit indignum. 10. Nolle etiam se Deo, ejusque præceptis submittere, id astimans tanquam contrarium dignitati suæ, & volens suo arbitratu vivere, quasi Deo non indigeat, aut ab eo non dependeat.

Resp. II. Superbia ex genere suo est peccatum mortale. Nam ad Rom. 1. *Superbi, & elati numerantur inter eos, qui digni sunt morte.* & Prov. 8. *Deus arrogantium, & superbiam detestatur.* Ratio est, quia superbia adversatur charitati Dei, ejus honori, majestati, & excellentiæ. Superbia est etiam radix omnis peccati, ex Eccli. 10. *initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subvertet eum in finem.* Et ex S. August. l. 2. de peccat. merit. c. 17. *Vitiorum namque omnium humanorum causa superbia est.*

Hinc superbia perfecta est semper culpa mortalís, ut 1. Quando præ superbia quis subjici renuit Deo, vel Superioribus, corrumve præceptis etiam in re minima. 2.

Cum

Cum quis bona sua aestimat a se ipso habere, vel esse propriis meritis debita, vel solis viribus acquisita. 3. Quando finis ultimus ponitur in propria excellentia, vel in rebus graviter malis propria excellentia constituitur, aut ex illis queritur.

Imperfecta tamen superbia, qua quis sine Dei, & aliorum contemptu, nec subjici Superioribus renuens, solum plus justo se effert, agnoscendo se omnia Deo debere, est venialis: quia non est gravis inordinatio, nec graviter repugnat charitati.

Q. 2. Quænam sunt superbiam remedia?

Resp. Generatim eadem sunt, quæ humilitatis adjumenta, speciatim vero hæc.

1. Sæpe humilitatem a Deo petere.

2. Sæpe considerare suum nihilum, suam effrenatam ad malum propensionem, suas pravas cupiditates, sua peccata, vitia, defectus, miserias tum corporis, tum animæ infirmitatem, impotentiam sine Dei graria actuali ad quemlibet actum salutarem; item infinitam Dei excellentiam, ad quam omnia sunt instar nihili; omnia, quæ habemus esse a Deo, nostra merita esse illius dona. *Qui te discernit? quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 1. ad Cor.

4. Ex horum consideratione complacentiam sui coercere, se ipsum contemnere;